

## Secundus phisicorum.

Deinde dicitur quod actio pro formalis non est in passo. Ad quartum respondet supponendo quod finis potest duplicitate considerari. Primo secundum esse quod habet in intentione mouentis. Alio modo secundum esse quod habet extra animam et in executione operis et istud aliquando nullum est ut cum sortes facit dominum propter filium quem sperat habere tamen non habebit. Tunc dicitur quod finis mouet metaphorice ut ad extra vel etiam ut est in intellectu quia fin multos nec intellectus nec obiectum mouet effectiue voluntate. Sed ecce ut habetur ex S. T. xij. q. ix. ar. i. unde quidam dicunt quod finis mouet voluntatem per modum attractionis: quia trahit ad se voluntatem agentis et sic mouere est mouere metaphorice. Hanc tamen motionem quidam vocant realem: quia dicunt predictum motum esse realem: quia causalitas est relatio realis et propter effectus realem sed hoc videtur esse disputatio ad nomen. Deinde dicitur quod licet finis non sit ad extra tamen est in intentione.

Ad quintum due sunt opiniones dicit enim de gannaco quod finis secundum esse quod habet in intentione mouet effectiue quia cognitio sanitatis secundum etiam multos noiales quod etiam ponit obiectum esse causam efficientem actus: efficit desiderium eius: ideo dicit quod finis secundum esse quod habet ad extra est causa finalis quia habito fine cessat motus: sed habito fine secundum esse quod habet extra animam cessat motus ergo ut sic est causa finalis. Item dicimus alii quem frustrari suo fine quando non habet hoc quod intendit ad extra. Sed ad hoc dicit aliis quod finis ut est in intentione mouet efficientem metaphorice quia non mouet ipsum phisice transmutando ipsius nec mouet ipsum effectiue. Secundo dicitur quod aliud est loqui de fine et de causa finali quod res proprie habet rationem finis ut est in executione et rationem cause finalis ut est in intentione. Et ideo dicitur quod habito fine cessat motus sed non habita causa finali eo modo quo est causa precise sed oportet quod habeatur ad extra. Et hoc modo etiam diceretur quis frustrari suo fine. Dicunt ergo aliis quod finis conuenit esse causam ut est in intentione. xij. q. i. ar. i. ad primum ubi dicitur quod finis et si sit postremus in executione est tamen prius in intentione agentis et hoc modo habet rationem cause. s. ut est in intellectu. S. T. de veri. q. xxij. ar. xij. et intentio est hic actus metis. s. th. q. xxij. ar. iii. ad quintum. Et tunc dicitur quod omnis causa realiter est non quidem in se sed aliquando in anima ratione speciei vel amoris non quod ipsa cognitio vel amor sit causa finalis immo res ipsa non conueniret: tamen si bi esse causam respectu voluntatis nisi esset cognita ita quod esse cognitum et amatum est motus sine quo non ipsius causa finalis. Et per hec patet ad illa argumenta quibus posset dici. Causa est ad cuius esse sequitur aliud sed ad esse finis nichil sequitur cum sit ultimum. Item phisica est scientia realis ergo non considerat finem ut est in anima sed ut est ad extra ergo ut sic habet rationem cause iam dictum est quod motus ipsius finis potest dici realis et si non sit motus phisicalis sicut illuminare est realiter causare: et tamen non sit per motum phisicale unde arguitur contra henricum impossibile est quod aliquid in quantum est effectus habeat causalitatem sed finis ut est extra est effectus ergo non est causa. Item finis ut est ad extra non precedit causalitatem agentis ergo ut sic non est causa finalis. Sed contra opinionem alteram arguitur quia sequeretur quod finis non esset

causa causarum quod est contra philosophum in presenti textu quia omnes cause agunt propter causam finalem que habet rationem boni veri vel apparentis prima parte. q. v. ar. iii. probatur sequela quia finis non mouet nisi ut est in intentione ergo prius producitur illa intentio quam sit causa finalis: sed illa intentio fit effectiue a voluntate ergo aliquid fit effectiue ante causam finalem. Si enim illa intentio haberet causam finalem oportet quod ante illam intentionem esset alia intentio quia nihil est causa finalis nisi ut est in intentione. Item deus est causa finalis primi actus voluntatis quo eum diligimus: et tamen non est in intentione ante prius actum voluntatis nec est amatus nec desideratus: ergo finis non mouet amatus et desideratus. Quidam dicit quod finis mouet voluntatem in genere cause effectiue: unde non est causa finalis amoris sed eius quod sit ab agente. Contra non est ergo non efficit unde male dicitur quod semper obiectum est causa effectiue et ex hoc videtur quod finis non conuenit realis actio: quia in eo quod non est nulla est realitas. Forte dicitur quod est cognitus et hoc sufficit. Contra cognitione illa fit ab intellectu effectiue: ergo ante eam prius natura est aliqua causa finalis: ut patet. xij. q. i. ar. vi. sed ante primam cognitionem non est finis in cognitione igitur. Item si finis moueret finalizando ex hoc quod est amatus et desideratus sequeretur quod amor finis esset causa finalis. Aliorum actuum circa media quod est falsum: quia videtur esse causa effectiue vel idem actus. Item secundum. S. T. prius actus voluntatis precedit intentionem: et tamen est a voluntate effectiue ergo causalitas cause effectiue precedit causalitatem cause finalis. Item sequeretur quod deus esset causa peccati ut quandoque furatur ad dandum elemosinam propter deum deus est finis istius actus. Dicendum ad omnia ista quod in agentibus voluntariis omnem causalitatem efficientem circa media precedit causalitas cause finalis sed loquendo de mathematicis vel actibus quos producit primo intellectus circa finem ultimum non oportet quod in ipsomet precedet causalitas cause finalis. Ad aliud dicitur quod deus non est causa etiam finalis mali ex parte ipsius actus quicquid sit ex parte operantis. Et si dicatur obiectum est causa effectiens actus voluntatis sed finis est obiectum actus interioris: ergo causa finalis erit causa effectiens quod est falsum licet aliquando finis et forma coincident. Negatur prima propositio.

Ad sextum patet ex dictis. Ad aliud dicitur quod diapason dicit duo scilicet proportionem et numerum et binarium in quo fundatur cuius forma est numerus: quia quodlibet superius est forma inferioris. Ad aliud negatur consequentia quia non oportet quod causa cause sit causa causati quando mutatur genus cause.

Ad septimum videtur probabile quod aliqui defectus habeant causam per se quia philosophus dicit in post. quod imperfectus inter se est imperfectus malus tamen pene videntur esse solum per accidens ad eo. s. q. xl. ar. ii. Ad aliud dicit San. T. ibidem ar. iii. ad quidem quod impossibile est fieri reductionem ad aliquid quod sit per se causa mali. Notandum tamen quod malum non est intentum a natura unde si ex virtute defectiva sepius generaret monstra hoc non est a casu nec tamen est intentum. San. T. lib. ii. contra gentiles c. s. vide ibidem quomodo mala culpe sunt etiam voluntaria et non a casu tamen non sunt intenta: dico tamen quod